

cilii, neque illi eam fidem et reverentiam adhibere, quæ vero Concilio debetur; itaque magna differentia inter illa duo versatur, multumque refert in particulari scire aut credere, hoc ipsum opus esse illudmet quod a Patribus illius Concilii editum est.

20. Dices tandem: si totum id, quod in eo Concilio continetur et refertur, est consentaneum his quæ de Concilio Francoford. historiæ referunt, et in eo nihil est quod ad causam fidei stabilendam non conferat, et pietatem ac veram doctrinam foveat, qua ratione in dubium verti potest, hanc esse veram epistolam decretalem Adriani Papæ, verumque Concilium Francofordiense? Respondetur, hinc recte probari priorem partem nostræ assertionis, nimirum, licet hoc non sufficiat ad certitudinem fidei faciendam, sufficere tamen ut temerarium sit et periculosum hoc negare. Præsertim quia, postquam illud Concilium in lucem prodit, aliisque adjunctum est, magno Catholicorum consensu ab omnibus est receptum, nullusque scriptor illud negare ausus est. Accedit, quod si hæc detur licentia, poterit quis revocare in dubium omnia Concilia quæ Laurentius Surius in lucem edidit, antea non edita; hoc autem valde absurdum est, et pias aures offendit. Deinde proficitur Surius (vir pius, doctus, et omni fide dignus) in epistolis ad Philippum, regem Catholicum, et ad lectorem, se nihil Conciliis aut numero Conciliorum addere, quod ex vetustissimis exemplaribus manuscriptis, et ex gravibus et Catholicis bibliothecis non excerpserit; ergo idem necessario credendum est de hac Synodo Francofordien. Nemo ergo suspicari sine magna temeritate potest, hoc Concilium Francoford. prout nunc habetur, de novo confictum esse, cum ex veteri exemplari ab homine tanta fide digno dicatur transcriptum. Neque etiam est ulla occasio suspicandi, olim fuisse simili fraude ab aliquo confictum, quia neque est hujus rei vel minimum indicium, neque de ullo viro Catholico id credi potest; quod autem ab hæretico compositum non sit, evidentissimum est, quia nihil est in eo opere quod sanam doctrinam non contineat, et pietatem redoleat.

21. *Objectiones contra auctoritatem Synodi Francoford.* — Sunt tamen pauca quæ objici possunt contra hujus Concilii auctoritatem, quibus satisfacere oportet. Primum est, quod totius Concilii stylus, tam in epistol. Adriani Papæ, quam in epist. totius Concilii, et in lib. Sacrosyllabo, nimis videtur acer ac rigidus,

quod videtur esse alienum a Pontificia et paterna lenitate, et Conciliorum consuetudine. Et difficultatem auget, quod non solum in doctrinam, sed etiam in personas invehuntur; cum tamen Felix (quantum ex historiis supra citatis colligi potest) jam eo tempore errorem suum coram Pontifice retractasset, Elipandus autem non fuisset omnino pertinax, sed enixe Concilii judicium efflagitasset, eique parendi voluntatem ostendisset, ut ex epist. Caroli non obscure colligitur. Et (quod maxime mirandum est) cum solus Felix et Elipandus, et pauci fortasse alii errassent, universam Hispaniam omnesque ejus Episcopos acriter reprehendunt ut hæresi infectos. Sic adeo ut ob eam causam dicant, traditos fuisse Hispanos in Sarracenorum potestatem, quod in Christum injuri fuissent, cum tamen ex historiis constet, longe ante Elipandum, Hispaniam in Sarracenorum potestatem venisse. Unde eruditissimus Garsias Loaysa, in Collectione Conciliorum Hispaniæ, in commentario de primatu Ecclesiæ Toletanæ, quem ad decretum Gundemari addidit, inter Urbanum, Archiepiscopum Toletanum, quo Pontifice Toletum, a Sarracenis oppugnatum, dolo captum est, quatuor Episcopos numerat ante Elipandum, videlicet, Cixillam, Petrum Pulchrum, Sunicredum, Concordium, cui successit Elipandus, de quo inferius sic scribit: *Usus frequenti Maurorum commercio, cum longe abesset ab illorum temporum felicitate, in quibus Ecclesiastica sinceræque doctrinæ vigeat, parumque accurate in sacris litteris versatus esset, in hæresim de adoptione Christi Servatoris nostri arroganter et ignoranter iniegit.* Quomodo ergo verum esse potest, quod Concilium Francoford. ait, ob culpam hujus erroris Hispaniam esse Sarracenorum potestati traditam?

22. Secundo ac præcipue multos movet, quod, in eodem Concilio, epistola ad Episcopos Hispaniæ, Eugenius, Ildefonsus et Julianus, sanctissimi et doctissimi Toletanæ Ecclesiæ Archiepiscopi, indigne ac irreverenter tractari videntur, tanquam vulgares homines, qui male de Christo sensissent; cum enim Elipandus eos in suæ sententiæ confirmationem adduxisset, nihil aliud Concilium respondet, nisi: *Quæ ex parentum vestrorum dictis posuistis, ut manifestum sit, quales habeatis parentes.* Et infra: *Melius est testimonio Dei Patris credere de suo Filio, quam Ildefonsi vestri, qui tales vobis composuit preces in Missarum solemnibus, quales universalis et*

*sancta Dei non habet Ecclesia; nec vos in illis exaudiri putamus, et si Ildefonsus vester in orationibus suis Christum adoptivum nominavit, noster vero Gregorius, Pontifex Romanæ Sedis, et clarissimus toto orbe doctor, in suis orationibus semper Unigenitum nominare non dubitavit.* In quibus verbis aperte videtur Concilium admittere, eos Patres male de Christo sensisse. Imo, quod ait: *Ut notum sit omnibus unde vos traditi sitis in manus infidelium,* non tam propter lapsum Felicis et Elipandi, quam propter errorem parentum, a quibus ipsi hoc didicerunt, dicere videtur; simul enim illa duo conjungit: *Ut manifestum sit quales habeatis parentes, et ut notum sit omnibus unde vos traditi sitis in manus infidelium.* Et quod prius objiciebamus ex historiis, hoc ipsum exigere videtur; totum autem hoc est contra gravitatem auctoritatemque illius Concilii.

23. Tertio objicere possumus, quia illud Concilium quibusdam utitur testimoniis et rationibus ad suam sententiam comprobendam, quæ non videntur magnam habere efficaciam, et a Theologis facile dissolvuntur; nam testimonia omnia, quæ adducit, solum probant Christum simpliciter esse naturalem Dei Filium, eundemque in humanitate subsistere, atque adeo hunc hominem simpliciter esse Filium naturalem Dei. Quæ omnia a Catholicis admittuntur, quamvis aliqui ipsorum putent, non repugnare quin simul secundum humanitatem sit adoptivus, cujus oppositum illis testimoniis convinci non potest. Rationes autem, quæ sumuntur ex natura vel proprietate adoptionis, sunt mere humanæ et probabiles, quæ ad certam fidem faciendam non possunt sufficere.

24. *Ad primam objectionem.* — Sed hæc omnia nil derogant hujus Concilii auctoritati. Et prima quidem objectio mihi non parum confirmat quod supra dicebam de sensu Felicianæ hæresis, quod, nimirum, non fuerit res adeo lubrica et obscura, ut Catholicis et doctis Theologis postea videri potuerit opinio probabilis, et in omnibus Academiis et scholis catholicis per tot annos ut talis tractari et disputari; alioqui non tam acriter reprehensione dignus fuisset Elipandus. Erravit ergo in re manifesta in fide, et longe antea in Ecclesia definita, solumque in verbis aut modo explicandi a Nestoriana hæresi discrepavit; et ideo illo acriter reprehensionis modo compescendus fuit; maxime cum summam quamdam auctoritatem, etiam in doctrina tradenda, si-

bi in Hispania usurpare vellet, ut ex his, quæ ad Fidelem Abbatem contra Beatum et Heterium scripsit, constat; quæ referuntur in Hispaniæ historiis, et in dicto lib. Heterii. Imo, ad Carolum Magnum etiam tanta libertate et auctoritate scripsit, ut ipse Carolus ad Elipandum de ipsius litteris ita rescripserit: *In quarum utique serie litterarum non satis nobis elucebat, an quasi ex auctoritate magisterii nos vestra docere disposuistis, an ex humilitatis discipulatu nostra discere desideratis.* Ob hanc ergo causam merito Episcopi Catholici, et præsertim Summus Pontifex Adrianus magna libertate et auctoritate respondent, ipsumque errorem et auctores ejus increpant. Nec tamen Adrianus Pontificiæ lenitatis oblitus est, nam in fine Epistolæ ita concludit: *Eligant namque quæ volunt, vitam aut mortem, benedictionem aut maledictionem; optamus namque, et infinitam Domini clementiam precamur, ut, relictis erroris anfractibus, ad viam quæ ducit ad æternam vitam, fidei passibus Christo redeant pertrahente, etc.* Et similia fere habentur in fine epistolæ totius Concilii, in qua fatemur nonnulla esse per exaggerationem et amplificationem dicta, præsertim cum sermo fieri videtur ad omnes Hispaniæ Episcopos, ac si omnes essent illa hæresi infecti. Sed id et non refert ad fidei et dogmatum veritatem, et ex quodam ardenti fidei zelo procedebat, intuendo potius ad effectum et conatum Elipandi et Felicis, qui omnes in suam sententiam adducere conati fuerant, quam ad effectum. Et fortasse multi fuerant hujusmodi errore infecti, et Concilium in hoc imitatus est morem Scripturæ sacræ, in qua sæpe propter quorundam peccata ita populus reprehenditur, ac si omnes essent illorum participes, neque unus innocens aut justus relictus fuisset. Quod vero Hispaniæ ruina huic peccato in ea epistola attribuitur, factum etiam est ad delictum exaggerandum, non est autem necesse intelligi de principio et initio illius calamitatis, qua Hispania in Saracenorum manus pervenit, sed de continuatione illius afflictionis et servitutis.

25. *Ad secundam.* — Et juxta hæc satisfaciendum est secundæ difficultati, in qua, si verba Concilii, ut simpliciter sonant, absque alia interpretatione sumantur, videntur plane Patres illius Concilii ignorasse quanta fuisset sanctitas et doctrina illorum Præsulum, Eugenii, Ildefonsi et Juliani, et ideo eorum auctoritatem contempsisse, nihilque aliud respondere curasse. Adde vero ulterius, non

oportere verba illa sumere absolute ut sonant, sed quasi sub conditione, quod, licet ita esset, in causa fidei non esset auctoritas illorum Patrum cum Ecclesie et Romani Pontificis auctoritate comparanda. Oportuitque ita respondere, tum quia Elipandus tantum videbatur suae sedi tribuere, et suorum antecessorum auctoritati, ut eam vellet ceteris praeferre, aut saltem comparare; tum etiam quia, cum illae preces, quas allegabat Elipandus, privatae essent, nec possent a Concilio examinari, an vere vel falso adducerentur, noluit Concilium eorum allegationem ut falso impositam rejicere, sicut in Augustino, Hilario, et aliis Patribus fecerat; et ideo illo modo respondet, scilicet, quidquid illi Patres dixerint, non esse in hac causa eorum auctoritati standum. Ad eum fortasse modum quo Paulus, ad Galat. 1, dixit: *Licet nos, aut Angelus de caelo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Si autem aliquis inquirat quid credendum sit de horum Patrum dictis, quae Elipandus in sua epistola allegabat, respondendum est, imprimis tales orationes non reperiri in aliquo antiquo Missali Toletanae Ecclesiae. Deinde, si aliquando fuerunt, prout ibi referuntur, non esse verisimile ab illis Patribus fuisse compositas. Tandem credibile est ab Elipando non sana et integra fide fuisse adductas. Quod enim in aliorum Patrum testimoniis referendis fecisse in illo Concilio convictus est, credi facile potest de his quorum scripta ad manus nostras non pervenerunt. Potuit enim facile aut illas preces confingere, aut certe in eis unam vocem in aliam commutare, ut nomen *adoptivi hominis* ponendo, loco nominis *dilecti* aut *grati*, vel alienius similis. Neque ab hac sententia Concilium Francoford. abfuit, nam in fine illius Epistolae sic ait: *Inculcastis iterum, iterumque replicastis vos Patribus consona ponere testimonia; sed, ut probavimus, longe aliter vos illorum intelligitis dicta, quam illi ipsi intellexerunt, qui haec ipsa testimonia libris inserebant; et invenimus sicut et ante praefati sumus, certissime vos illorum sanctissima scripta haereticae pravitate veneno infecisse, et interseruisse verba quae nusquam in eorum legitur libris. Nisi forte vestri magistri ita sensissent, quorum nomina Sanctae et universali Dei Ecclesiae ignota putamus huc usque remansisse, si hujus erroris schisma per vos ea mundo non innotuisset;* subjungit vero statim: *Desinite, fratres, vestros per aures populi Christiani diffamare parentes, et vosmet*

*ipsos a sancta Dei dividere Ecclesia;* quasi dicat: Videte ne falso illis hoc crimen imponentis sicut et ceteris.

26. *Ad tertiam, sensus definitionis Concilii Francofordiensis aperitur.* — Tertia objectio explicari satis non potest, nisi prius Concilii sensum et mentem exponamus. Qui ergo existimant errorem Felicis fuisse eundem quem postea Durand. et alii Scholastici ut probabilem opinionem introduxerunt, consequenter aiunt sensum Concilii esse, damnare ut haereticam opinionem Durandi. De probationibus autem quae in toto illo Concilio afferuntur, dicunt imprimis non esse necessarium esse aequae certas, ac est ipsa definitio Concilii; hoc enim in ceteris etiam Conciliis observatum est ab omnibus Catholicis qui de auctoritate Conciliorum scripserunt. Addunt deinde, quamvis testimonia Patrum et Scripturae immediate non demonstrent illius erroris falsitatem, tamen, vere ac recte explicata voce et proprietate adoptionis, necessario ex eis inferri, neque simpliciter, neque in natura assumpta posse convenire in eum qui Filius Dei naturalis sit; et hoc satis fuisse ut potuerit Concilium eam sententiam ut haereticam damnare. Supposito tamen sensu praedicti erroris, quem nos explicavimus, aliter etiam sensus Concilii, et definitio ejus ac doctrina explicanda a nobis est. Sicut ergo Concilium per se ac directe intendit Felicianam haeresim damnare, ita etiam per se ac directe solum definit Christum non esse filium adoptivum, eo proprio et imperfecto genere adoptionis quo nos sumus filii adoptivi; seu (quod idem est) definit, unionem vel conjunctionem inter Christum et Filium Dei naturalem non esse per adoptionem, qualis est nostra, nec per solam nuncupationem seu denominationem, sed per veram unitatem subsistentiae et hypostasis utriusque naturae humanae et divinae; et hinc etiam definit, hunc hominem Christum subsistentem in natura humana esse Filium Dei naturalem, et non esse prius servum quam Filium, neque esse prius hunc hominem, quam Filium naturalem. Et quidem, quod haec in eo Concilio tradantur tanquam dogmata fidei, non eget probatione, nam est per se patens et notum legenti illud.

27. Quod autem nihil aliud de fide sit ex vi definitionis illius Concilii, probatur primo, quia sensus definitionis ex sensu erroris, qui damnari intenditur, colligendus est; sed sensus erroris Feliciani in hoc consistebat, quod poneret adoptionem Christi hominis similem

nostrae, distinguendo illum a Filio Dei naturali, et nullam aliam majorem conjunctionem inter Christum et Filium Dei naturalem ponendo, nisi solum quoad nuncupationem et denominationem; ergo solum dogma contrarium est, quod per se definitur in Concilio; nam in Conciliis, praecipue ubi non fit praecisa definitio per breves canones vel decreta, sed per longum et continuum doctrinae contextum, non omnia, quae dicuntur, sunt de fide, sed sola definitio intenta, nisi aliud in ipsomet Concilio expresse declaretur.

28. Secundo, id patet ex objectione proposita, nam testimonia Scripturae et Sanctorum, quae in toto illo Concilio adducuntur, definitionem Concilii in hoc sensu, et nihil aliud in rigore probant, nisi quod hic homo Christus, vere, realiter, ac omnino proprie est Filius Dei naturalis, ut patet ex illis locis: *Qui proprio Filio suo non pepercit*, ad Rom. 8. *Hic est filius meus dilectus*, Matth. 3 et 17. *Tu es Christus Filius Dei vivi*, Matth. 16; ex quibus et similibus nihil aliud inferitur, nisi eundem revera esse Filium Dei naturalem, qui est homo Christus pro nobis traditus. Ex his autem testimoniis non ita clare et evidenter sequitur, Christum ut hominem, specificando et designando naturam, esse Filium Dei naturalem, ut ad fidei definitionem sufficiens fundamentum videatur. Sicut etiam dicitur in Scriptura, Christum esse Deum, *qui nos redemit sanguine suo*, Actor. 20, ex quo optime sequitur unum et eundem esse, qui est verus Deus, et habet carnem et sanguinem, quem pro nobis fundat; non tamen sequitur quod in quantum habet carnem, seu in quantum est homo, sit verus Deus, sumpta illa particula *in quantum*, in praedicto sensu designante naturam, ut docuit D. Thomas supra, q. 46, art. 41. Atque idem dici potest de testimoniis Sanctorum, quae in eodem Concilio adducuntur, ut facile constabit legenti, et in superioribus quaestionibus tactum etiam est, et quia revera Sancti nihil aliud docent, quam quod in Scriptura aperte continetur. Quamvis autem necessarium non sit omnia et singula testimonia, quae in Conciliis adducuntur, esse efficacia, quod autem omnia etiam simul sumpta inefficacia sint, quodque Concilium plus definiat, quam in Scriptura contineatur, quando praecipuum fundamentum definitionis est ipsa Scriptura, magnum est inconveniens.

29. Nec satis est dicere, adjuncto rationis discursu, id colligi ex Scripturis, et hoc suffi-

cere ut possit Concilium suam definitionem adjungere; hoc enim verum est, quando ratio est tam aperta, ut manifeste convincat, suppositis his quae Scriptura docet. Rationes autem, quae in hoc Concilio fiunt, in praedicto etiam sensu evidenter convincunt, in alio vero sunt quidem optima, non tamen ita aperte convincentes, nam sumunt aliqua principia, quae in illo sensu revelata non sunt, nec omnino evidenter, ut in superioribus tactum est, et in postrema parte hujus sectionis iterum attingetur. Et praetermissis aliis rationibus, nunc breviter pondero illam, qua tam Adrianus, quam Concilium utitur, quia, si Christus esset adoptivus, non potuisset nobis condigne mereri gratiam adoptionis; haec quidem ratio recte probat contra eos, qui Christo homini solum tribuunt filiationem adoptivam ejusdem rationis cum nostra; contra eos vero, qui illi ut homini, vel humanitati ejus, tribuunt adoptionem alterius rationis et ordinis, non ita convincit, quia dicitur per gratiam adoptionis alterius rationis, quae naturalem filiationem, et increatam personam non excludat, non repugnare perfectissime mereri aliis inferiorem adoptionem. Unde haec ipsa ratio mihi declarat, Felicem posuisse in Christo idem genus adoptionis cum nostra, et hoc damnari directe ab his Patribus; alioqui aequivoce uterentur nomine adoptionis, vel non recte ab una ad alteram argumentarentur. Quocirca etiam ex discursu et rationatione Concilii hic sensus colligitur. Quod si interdum aliquid amplius obiter Concilium insinuat, vel ex rationibus ejus aliquid amplius colligi potest, non est necesse id esse de fide, cum ad directam intentionem et definitionem non pertineat. Atque ita satisfactum est tertiae objectioni, et declarata est definitio Concilii. Quam expositionem magis in postrema parte hujus sectionis confirmabimus ac defendemus.

30. Tertio loco dicendum superest de re proposita, quid, nimirum, de fide tenendum sit, quidve ut haereticum damnandum, quid denique sub opinionem cadere possit, et in quo gradu. Quod ut clarius fiat, distinguamus in praesenti propositiones affirmantes a negantibus, praecipue illas in quibus affirmatur Christum esse Filium Dei naturalem, vel simpliciter, vel cum determinatione, *in quantum homo*, et illas in quibus negamus Christum esse filium Dei adoptivum, vel absolute, vel cum eadem determinatione; nam, licet juxta veram doctrinam haec posteriores sequantur

ex prioribus proportionate sumptis, tamen hoc non satis est ad faciendam certitudinem fidei, nisi hoc ipsum sit de fide, vel saltem omnino evidens, si late loquamur de certitudine fidei, ut includit certitudinem Theologicam.

31. Dico ergo primo: hæc propositio, Christus est Filius Dei naturalis, est simpliciter de fide. Hæc non indiget probatione, quia eadem est ratio de illa, Christus est verus Deus, et Verbum Dei, etc. Videantur dicta in principio hujus materiæ, disp. 2, et q. 16, et in præcedentibus sectionibus hujus disputationis. Hæc denique est una pars definitionis Concilii Francoford., ut ex dictis patet. Quæ in illo optimis sacræ Scripturæ testimoniis probatur.

32. Dico secundo: hæc propositio, Christus, in quantum homo, est Filius Dei naturalis, in aliquo sensu est de fide certa, nimirum, si dictio, *in quantum*, non accipiatur ratione naturæ, sed ratione suppositi, juxta D. Thomæ doctrinam supra, quæstione decima sexta, art. 11; nam in ea significatione sensus propositionis est, Christum, quatenus est suppositum naturæ humanæ, esse Filium Dei naturalem, quia neque illa natura humana habet aliud suppositum præter Filium Dei naturalem, neque illud suppositum ex eo quod in natura humana subsistat, desit esse Filius Dei naturalis. Hoc autem sensu supposito, manifestum est illam propositionem esse de fide certam, quia de fide est, et Verbum esse Filium naturalem Dei, et illud esse unicum suppositum naturæ humanæ Christi, quod, ut in humanitate subsistit, suam retinet filiationem naturalem. Imo existimo hanc esse alteram et potissimam partem definitionis Concilii Francofordiense; nam, licet D. Thomas, citato articulo, dicat particulam, *in quantum*, magis proprie designare naturam quam suppositum, idque fortasse in dialectico rigore verum sit, nihilominus in communi usu loquendi et scribendi de hoc mysterio, sumitur ad designandum suppositum, seu id quod subsistit in humanitate, et in hoc sensu existimo esse locutos Felicem et Elipandum, quando aiebant Christum, ut hominem, seu in humanitate, vel secundum humanitatem, aut secundum carnem (hæc enim omnia apud illos idem sunt), esse adoptivum. Non enim subtiliter distinguebant naturam a supposito, et illam designabant, sed absolute indicabant hunc hominem Christum; et illum ut sic, id est, ut dicit totum hominem subsistentem in

hac humana natura, vocabant filium adoptivum. Concilium autem in contrario sensu docet ac definit, hunc hominem Christum esse Filium naturalem; et ut amplius declaret in eo homine non esse aliud suppositum præter naturalem Filium Dei, addit interdum particulam, *in quantum homo*, quia, nimirum, etiam si loquamur de hoc homine, ut est suppositum humanitate constans, ille ipse est Filius Dei naturalis; et hoc sensu esse sumendas fere omnes reduplicaciones similes, quæ in illo Concilio leguntur, ex rationibus quibus sensum ejus confirmavimus, constare potest, et amplius ex conclusione sequente.

33. Dico ergo tertio: hæc propositio, Christus, in quantum homo, est filius Dei naturalis, accipiendo, *in quantum*, prout naturam designat, non est de fide, sed in uno sensu est falsa, in alio autem licet sit vera, est tamen sub opinione. Declaratur et probatur, nam filius necessario dicit relationem ad patrem; cum ergo dicitur Christus, in quantum homo, filius naturalis Dei Patris, aut Deus Pater sumitur ibi personaliter et proprie pro prima persona Trinitatis, ut producente Filium per æternam generationem; et sic falsum est Christum, in quantum hominem, esse Filium Dei naturalem, quia, ut sect. 1 dicebam, neque est genitus ab æterno Patre ut proprie et personaliter producente Filium suum ab æterno, neque habet majorem influxum in Christum in quantum hominem, quam aliæ personæ. Aut, cum dicitur Christus, ut homo, filius Dei naturalis, illa relatio respicit Deum ut extra operantem, atque adeo totam Trinitatem quatenus univit hanc humanitatem Verbo Dei, eamque uniendo composuit hunc hominem, per se et ex vi talis actionis seu unionis sanctum et hæredem divinæ beatitudinis in ipsamet humanitate. Et in hoc sensu verissime quidem dicitur Christus, ut homo, filius Dei naturalis; sed non potest hoc esse de fide. Neque est verisimile, Concilium Francofordiense in hac Theologica subtilitate hoc definivisse. Primo quidem, quia oportuisset ut hoc sufficienter et distincte satis declararet, quod certe non fecit. Quod si ex dictis ejus sumi potest aliquod probabile argumentum, vel etiam interdum ipsius verba aliquid simile indicant, id non satis est ut certam fidem faciat, ut sæpe dixi. Secundo, quia nullum erat sufficiens fundamentum ad tale fidei dogma constituendum, ut ex paulo ante dictis de sensu Concilii constare potest. Et amplius declaratur, nam, licet sit de fide,

humanitatem esse substantialiter unitam Filio Dei naturali, non tamen est de fide ita fuisse sanctificatam ex vi illius unionis, ut habeat intrinsecum jus ad supernaturalem beatitudinem, quæ est divina hæreditas; nam multi Theologi opinantur, si Deus assumpsisset illam humanitatem sine gratia habituali, non fore illi debitam supernaturalem beatitudinem; imo neque habere sanctitatem quæ ad meritum beatitudinis sufficiat; quod, licet sit falsum et improbabile, non tamen est hæreticum; ubi enim est contrarium aperte definitum aut traditum? Rursus etiam si concedatur humanitatem ex vi unionis ita sanctificari, ut huic homini acquiratur intrinsecum et radicale jus ad æternam hæreditatem, per suam humanitatem obtinendam, tamen non est de fide, ad rationem filii naturalis hoc sufficere; nam posset aliquis contendere, filium naturalem dici non posse, nisi ob identitatem vel similitudinem naturæ, quam Christus, in quantum homo, non habet; neque in eo censeretur hæreticus, cum oppositum non sit definitum, neque ex definitis aperte colligatur, imo illud videatur consentaneum his quæ a sanctis Patribus in materia de Trinitate dici solent, ad probandam veram divinitatem Verbi divini, ex eo quod est Filius Dei naturalis; quia propria filiatio naturalis requirit eandem naturam cum generante. Quod autem præter hunc sit alius modus filiationis naturalis, nullibi est de fide definitum. Quin potius sunt plures Theologi apud quos male audiat (quamvis immerito) talis modus filiationis Dei naturalis; quia omnino recusant admittere in Christo duplicem modum filiationis naturalis secundum diversas naturas. Adeo ut potius negent Christum, ut hominem, esse filium Dei, quam admittant esse filium naturalem; nam etiam fugiunt concedere Christum ut hominem esse filium Spiritus Sancti, quod tamen, juxta illam sententiam vere intellectam, et seclusa æquivocatione verborum, concedendum est, cum hæc filiatio dicatur non respicere primam personam ut sic, nec fundari proxime in emanatione ad intra, sed in operatione ad extra; quæ omnia probabiliter disputantur a gravissimis Theologis, non ignorantibus definitionem Concilii Francofordiense, sed eam attente legentibus ac meditantibus, et pro certo habentibus illam propositionem non esse in eo Concilio definitam; non ergo est de fide.

34. Unum solum est, quod ex illo Concilio objici potest contra hanc assertionem; nam

Adrianus Papa, in sua epistola, adducens in confirmationem suæ sententiæ locum illum Matth. 3 et 17: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, dicit illa verba esse dicta a tota Trinitate, cum tamen certissimum sit, et ibi etiam doceatur a Pontifice, sermonem ibi esse de Filio naturali; ergo ex sententia Pontificis tota Trinitas vocat ibi Christum ut hominem, *Filium suum naturalem*. Verba Adriani sunt: *Patris testimonio de Filio perhibentis non creditis, qui dixit: Hic est Filius meus dilectus?* Declarans autem de quo illo verba dicta sint, scilicet, de eo in quem Spiritus Sanctus descendit, id est, Christo ut homine, ait: *Dei enim Filius secundum id quod Deus est, Sanctum Spiritum cum Patre nunquam a se recedente inenarrabili modo mittit, et secundum id quod homo est super se venientem suscepit; de eo ergo, id est, de hominis filio vox illa intonuit.* Statim vero declarans quis illa verba protulerit, inquit: *Si secundum divinitatem dixisset, nunquam diceret: In quo mihi bene complacui, sed tantum, In quo mihi bene placui, sed dum dicit; Complacui, totam simul Trinitatem comprehendit, quia in homine Christo tota complacuit Trinitas; igitur ex vi illius verbi, complacui, quod videtur includere consortium multorum, et ex eo quod de Christo homine est sermo, colligit Pontifex, Trinitatem esse quæ ibi loquitur; ergo Christus, ut homo, est filius naturalis Trinitatis, ex sententia Pontificis.*

35. Responderi potest primo, etiam si Pontifex hoc modo locum illum interpretetur, non facere certam fidem, qui non est necessarium ut omnia testimonia, quæ in Conciliis vel epistolis decretalibus afferuntur et exponuntur, in sensu certo et indubitato afferantur. Est ergo ille sensus probabilis, non tamen certus; et ideo non facit certitudinem fidei. Hæc vero responsio, quamvis quoad testimonium Scripturæ ferri possit, tamen quoad definitionem Pontificis nostræ intentioni non satisfacit, quia Pontifex adducit illud testimonium ad suam definitionem confirmandam; ergo sive confirmatio sit certa, sive probabilis tantum, tamen necessario ex ea colligitur, mentem Adriani fuisse definire, Christum ut hominem esse filium naturalem totius Trinitatis. Respondetur ergo negando testimonium illud afferri aut exponi ab Adriano in prædicto sensu. Quod probatur primo, quia non est verisimile adduxisse Pontificem, ad confirmandam fidem, testimonium Scripturæ in sensu, non solum incerto, sed